AD QVODLIBETARIAM.

QVÆSTIO MEDICA

Matutinis exagitanda disputationibus in scholis Medicorum die Iouis 23. Nouembris moderatore D. FRANCISCO ELLAIN *Doctore Medico.*

An temperamentum calidum humidum sit longioris vitæ.

PRæstantissima omnium specierum corporis naturalis est corpus animatum, quod idcirco dispositionibus omnium inferiorum ornari, & aliquid nobilius continere necesse est. Elementa igitur quæ sunt simplicia, & prima omnium corpora corruptioni obnoxia, solam primam materiam duplici qualitate affectam: Mixta inanimata, quæ sunt quasi secunda corpora ex primis orta, ab Elementis tamen & inter se distincta, contemperationem quoque Elementorum quatuor, tum quoàd qualitates, tum quoàd substantias postulant.

VIuentia & hanc ipsam mixtionem longè adhuc perfectiorem poscunt, ac præter illam organizatione, vt ita loquar, & plurium egent partium discrimine. Quò fit vt in mixtis inanimatis quæ sunt ὁμοιομερῆ *vnica reperiatur complexio: quæ nihil est aliud quàm quatuor primarum qualitatum vnio. At in viuentibus propter diuersitatem operationum diuersæ sunt singularum partium contemperationes, ex quibus existunt partes homogeneæ, & ex illis fiunt heterogeneæ, tum ex omnibus totum viuens coagmentatur.*

QVinetiam in animalibus ex complexione qualitatũ elementarium emergunt primùm humores quatuor, sanguis, phlegma, vtraq; bilis, flaua & atra: deinde ex iis partes similares ortum ducunt, & dissimilares, atque ad extremum totum corpus, totiúsque temperamentum, quod prout speciem suam conseruare aptũ natum est, longioris aut breuioris vitæ est particeps. Ac profectò quæ in frigore & siccitate excedunt (vt simplices quatuor temperaturas omittam) sunt breuis admodùm vitæ: quandoquidem hæ duæ sunt qualitates mortis sociæ, cùm frigus perpetuas cum calore gerat inimicitias, eiúsq; operationes omnes impediat. Complexio calida sicca potior est ad vitam quàm frigida humida, quia cùm vtraq; alterã duntaxat earum qualitatum, quæ vitæ esse dicuntur, illa præcipuũ vitæ ducem, hæc humorem eúmq; aqueũ & impurum obtineat.

OPtatissimum autem, & quod diutissimè speciem suam tuetur & sustinet temperamentum esse puto, non temperatum quidem, etsi Medicorum industria ægros ad eam temperiem reducere conetur; sed quod calido & humido excellit, quæ sunt principia quibus maximè nititur vita. Quod ne constare quidem ipsum potest, propriámq; & determinatam periodum durationis habet; cùm calor naturalis, & humidum innatum (quæ alimento ad famem & sitim sedandam assumpto, necnon Medicinæ potentibus Herbis restaurari possunt) perpetuò absumãtur, & resoluantur; totáq; corporis constitutio continenter à multis ita labefactetur, vt sit necesse eam aliquando penitus expugnari.

HVius verò determinatæ periodi causa, à coniunctione caloris cum humido petenda est: quia si sit multum humidum aëreum, & pingue, calori materiæ multum suppetet: & ita exsiccationi (qualis in dorsali tabe neogamis, & salacibus accidit) interitum molienti resistet; vnde ἄχολοι μακροβιώτεροι *dicuntur. Plurimùm etiam ex calore naturali pendet vita, cùm sit prorsus ad illã necessarius, & ex eo mares viuaciores existant quia calidiores: et dextro Vteri sinu, fœminæ sinistro potiùs gestentur. Ac demũ vbi multus calor vigeat difficiliùs extinguatur: Ac propterea terrestria aquatilibus sunt longioris vitæ; & in vniuerso terrestrium genere diutissimè omnium viuit homo. Quarè cùm caloris naturalis cum humido innato coniunctio, sit prima & præcipua ratio diuturnitatis vitæ: Certè maior æui duratio in maiori earum qualitatum, quæ illius sunt conseruatrices, dominatu consistit.*

Ergo temperamentum calidum humidum est longioris vitæ.

Assertor ANTONIVS DE GVYNANT Lingonensis. Anno Domini 1600.



Domini Doctores disputaturi,

M. Antonius Quiquebeuf.	M. Petrus Seguin prof. Reg.	M. Claudius Boyuin.
M. Iacobus d'Amboise Med. Reg.	M. Iohannes de Renou.	M. Philippus Harduyn de S. Iaques.
M. Iacobus Cousinot.	M. Petrus Pijart.	M. Claudius Fauuelet.